



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ars Semper Gavdendi**

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per  
Adventuales Conciones

**Sarasa, Alfonsus Antonius de**

**Antverpiae, 1664**

Prooemivm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13517**

# P A R S I.

## TRACTATUS II.

Delectasti me Domine in facturâ tuâ, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quàm magnificata sunt opera tua Domine! nimis profunde factæ sunt cogitationes tuæ. *Psal. 91.*

*Ostenditur fusiùs, quod ut omnibus rerum euentibus acquiescas, habenda sit maxima de Dei providentiâ opinio. Hac autem excitatur primò ex consideratione instrumentorum, quibus Deus utitur ad gubernationem uniuersi.*

### P R O O E M I V M.



Illud quidem exorsus sum dicere, artem omnem tranquillitatis veræ, & stabilis inter tot tantaque tum naturæ, tum fortunæ vicissitudines tum multasque acquirendæ, in solâ phantasiæ nostræ, iudicijque efformatione rectâ consistere; sic nempe ut quidquid euenerit, cuius in manu nostrâ non sit euentum impedire, illud melius esse apud nosmetipsos statuamus, conducibiliusque quàm id, quod optamus: ut autem altè infigatur hæc opinio, illud certò statuere debere nos, nihil non è Dei decreto aut fieri aut permitti. At verò hoc ipsum ut menti nostræ imprimamus, rectè à Deo fieri quæ fiunt, quæ permittuntur rectè permitti, hîc Rhodüs, hîc saltus. Difficultatem verò, quam in acquiescèndo diuinis decretis experimur, video inde ortum habere, quòd non satis amplam & eximiam de



de Dei Providentiâ, opinionem conceperimus. Hâc enim qui imbutus est, quid quæso, molestiæ persentiscet, ut approbet omnia, suumque quod nullum esse videt iudicium, subiiciat Diuinæ menti? hoc ubi à se impetrarit humanus animus, nihil erit, quod cum magnopere conturbet, ubi quod conturbare poterat, rectâ, magnâque ratione euenisse iudicarit. Itaque ut rem promoveam, ostendam primò, magnam illam de Deo opinionem, componendis animis profus esse necessariam. Deinde eam excitare ut incipiam, instrumenta tantummodò considerabo attentius, quæ Deus, magnus ille vniuersi Gubernator, dirigendæ naturæ adhibet, ex quibus utcumque magnitudinem, sapientiam providentiâque Dei patefaciam, quantum nempe opinioni illi, existimationique quam quæro efformandæ sufficiet.

## S. I.

*Vt acquiescas omnibus rerum euentibus, certò statuendum est omnia à Deo dirigi: & maximam de eius Providentiâ habendam existimationem.*

*Nati mü-  
dus est s  
mils: nihil  
in eo stabi-  
le, &  
quiesum.*

**E**A, quæ de nauibus, nauigationeque instituta est comparatio non ita mihi displicuit, quin eam rursus, si veniam datis Auditoribus, adhibiturus sim, ut quasdam, quæ occurrerunt, cogitationes fusiùs explicem, ac declarem: Similitudo enim in plurimis mirè conuenit cum rerum humanarum usu quotidiano, prout præcedenti tractatu dicere incepi. Quid enim mare, quid fluctus, quid æstus, quid recessus vndarum, quid instabiles venti aliud denotant, quàm inconstantiam rerum earum, & euentuum, qui per momenta singula, aut à naturâ, aut à maleuolorum impudentiâ, aut ab amicorum fauore, aut ab eâ, quam vulgus Fortunam vocat, instabilitate, & imperio in'eruntur? iam verò illa nautarum quaquauersum discurrentium sollicitudo, nunc malos summâ celeritate conscendentium, nunc in nauis descendentiū ima, nunc vela expandentium, nunc contrahentium labores, nonne dilucidè exprimunt sudores hominum, grauesque curas? Ah! ut toti sunt mortales in explicandis velis ventisque captandis! quantum eheu laboratur, ubi se fauoris

ris